TRACTATUS POLITICUS

DE

CLEMENTIA ET RE-

GIMINE BONI PRINCIPIS

AUTORE

JOSEPHO ADJUTO, SS. Theol. D.
& Ital. Lingvæ Extraord. P. P.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typographi.
A. O. R. LXIV.

Lit. Lat.
rec. B.
23, 12.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

JOHANNI GEORGIO SECUNDO,

SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC MONTIUM DUCI, SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMARSCHALLO ET ELECTORI OCTOVIRO, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ ET UTRIUSQVE LUSATIÆ BURGGRAVIO MAGDEBURGENSI, COMITI DE MARCA ET RAVENSPURG, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN.

UT ET

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

JOHANNI GEORGIO TERTIO,

ELECTORATUS SAXONIÆ HÆREDI, JULIACI, CLIVIÆ AC MONTIUM DUCI, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, ET UTRIUSQVE LUSATIÆ, COMITI DE MARCA, ET RAVENSBURG, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN.

UTRISQVE DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS.

Consecrat, Dicat, Offert.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn333951557/2
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ROmanorum in fastis cana antiqvitas annotatum reliqvit, Hispaniam, & Galliam esse duo firmissima Romani Imperii brachia: Qvod illis robur ac potentia qvartæ Monarchiæ præcipuè staret. Eâdem ratione accuratioribus rerum æstimatoribus videri merito debet, clementiam & justitiam esse duo validissima brachia gubernationis, qvæ suâ diuturnitate & nobilitate immortalitatem qvibuscunqs; regnis spondeant, atqs; insigni utilitate pretiosissima mundi opera & oras immane qvantum anteeant: qvarum alteram dextrum, alteram sinistrum Imperii latus claudere par est; his enim omnis regiminis majestas nititur, & continetur, his reges, Principes, & duces tuti redduntur, his subditorum salus publicè acqviritur & conservatur retineturqs; constanter: & qvidem lux naturæ & ratio rerum Magistra Principatum invenit, atqs; fundavit, qvô dispersi populi justitia concordes in unum corpus coalescerent. Neqs; enim diu stare possunt concordiæ fomentis uniti, nisi & justitiæ legibus vinciantur, firmenturqs;. Homo enim cum sit animal sociale, & bono communi genitus, nec ei societas, nec communis boni securitas stabilis erit; nisi qvod cuiqs; debetur, exæqvo solvatur. Qvare ut justitia, ejusqs; integritas inviolata semper administretur, optimus qvisqs; & integerrimus communi suffragio deligitur, ut illum velut solem omnes contueantur, & lucem virtutis ab eo accipiant. Hujusmodi enim Principis oculi, vultus irretortus, & continentia metuenda, neqvitiam irruentem, & vitiorum insolentiam, ut lux tenebras, fugat dissipatqs;. Felix respublica justo principe: infelix ter & amplius, pro-ruente justitia. Qvare vere & sapienter olim dixit Hesiodus.

Hoc uno Reges olim sunt fine creati,
Dicere jus populis, injustaqs; tollere facta.

Rex enim moratus est vita totius reipublicæ; & contra pernicies. Hoc ipsum Andronicus Byzantinus Imperator sensit, scripsitqs; ad præsides provinciarum, his verbis. *Aut Injurias relinqvite; aut vitam. Nam vos injustè agere, & vivere nec DEO gratum, nec mihi ejus ministro ferendum.* Qvid enim sunt Imperia sine justitia, nisi efferata latrocinia? Verum qvia timor ex rigore justitiæ natus, nec satis fidus securitatis comes, teste enim *Tacito in vita Agricolæ, metus & terror infirma vincula civitatum, qvæ ubi removeris, qvi timere desierint, odisse incipient.* DEUS ideo naturæ & regnorum auctor & arbiter justitiæ clementiam sociavit, tanqvam firmam pacis & otii beati conciliatricem. Qvam etsi in omnium animos vult descendere, nullum tamen clementia ex omnibus magis, qvam Principem Regemqs; decet. Clementia qvippe animos populorum principi qvasi aurata conpede devincit, qvos metus, terrorqs; dividit, & in consilia distrahit diversa. In ermis est metus, ut populi contineantur, qvamvis domiti videantur. Silent arma in metu per metum eruptura: summus securitatis comes Principi est clementia. Hoc præclare docuit *Dion* Rex Siciliæ Juniorem *Dionysium*, qvo se probaret non Tyrannum, sed Regem. *Non* (inqvit) *Adamantinas compedes, non, ut tuus dixit parens, metum, Vim, ingentem classem esse firmitatem regni; sed benevolentiam, sed studium & favorem*

Vide Plutarchum.

favorem populorum, & ea, qvæ justitiam & virtutem imprimant; qvæ licet mollior sint illis duris, esse tamen firmiora ad imperii securitatem. Sapientissimè ergò Salomon Proverb. 20. vers. 28. Misericordia & veritas custodiunt regem; & roboratur clementia thronus ejus. Impia & sangvinaria vox; oderint dum metuant: saluberrima & secura: ament; non metuant. Sed eccur hæc & alia saniorum regiminum fundamenta, qvæ clementiam & justitiam appello, fusiori prosequor sermone & elogio? Non verbis opus est: sed factis. In qvibus multo illustrius divinæ hæ relucent virtutes. Facta autem si penitius introspexero, nulli dignius illa attribui confisus sum, qvam Tibi, Serenissime Patriæ Pater, & unâ, Tibi Paternarum illustrissimarum virtutum Electoratusq; Saxonici Hæres Serenissime, uterqve Mecœnas clementissime; Vos enim, si qvisqvam alius de augusta Principum familia, illustrissimo clementiæ & justitiæ temperamento admirandum in modum effulgetis, & ceteros immani post vos relinqvitis intervallo. Hæc videlicet inclytæ Saxonum Domus ante alias felicitas est, ut firmissima Imperii gubernacula, qvæ in clementia & justitia sita esse cognoverunt, & semper fulciant & constanter retineant adhibeantq; de clementia & justitia Saxonum omnes memoriæ & monumenta plena sunt. Nec non ipse, qvem Fatum ex transmarinis terris huc accersitum in vestra Saxoniæ primaria Wittenberga sedem figere jussit, ad stuporem usq; admiror, & subjectissimi animi cultu adveneror. Infinita fateor, restant Vestrarum Serenitatum Elogia qvæ sui famâ ad exteros qvosq; populos diffusa admirantur, pariterq; advenerantur omnes. Verum enim vero qvis ad ea enarranda condignè sufficeret? Nemo certe qvidem. Qvare & ego impar hîc subsisto atq; hunc tenuem tenuis Ingenii partum, & qvidqvid est meæ humilitatis, Vestris Celsitudinibus Serenissimis pronus consecro, dedico, offero. Supplico autem Vestris Serenitatibus dignentur hoc exiguum monumentum serena fronte admittere, mihiq; ut semper, ita porro clementes se exhibere. Ego vero, qvod mei est officii, non desinam Serenitates Vestras in conspectu DEI pie sistere easq; mane, meridie, vesperi atq; adeo silente nocte, Salvatori JESU commendare, Spiritum Sanctum, vitæq; Sanctæ incrementa benedictionem deniq; omnigenam à datore omnium donorum DEO impetrare. Optimè & feliciter Valeant & diutissime vivant Vestræ Serenitates. Scriptum Wittebergæ. Calendis Februarij. Anno M. DC. LXIV.

Vestr: Serenitat:

Humillimus Cultor & apud Deum
intercessor

Josephus Adjutus, D. & Italicæ
Lingvæ Extraord. P. P.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn333951557/4
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

CLementiæ definitiones varias esse, nemo inter doctos ignorat, ut regiam decet virtutem. Decet enim illam magnificis verbis qvasi peristromate vario circumscribi atq; exornari. Qvid autem est clementia? Clementia est, temperantia animi in potestate ulciscendi; Vel lenitas superioris adversus inferiorem in constituendis pœnis: vel dici potest inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda. Vel clementia est moderatio aliqvid ex debita pœna remittens. At hic reclamabit severus Cato, si debita est pœna, qvomodo remitti potest, cum nulla virtus qvippiam minus debito facere possit? Esto, remittat de debito clementia, virtus esse non desinet; potest enim aliqvid rigoris prætermittere, qvem exercere absq; injustitia in nocentem posset. Temperantiam ergo adhibebit, qvia prudentia dictat, aliqvid remitti posse de pœna, qvam sine ullius injuriâ vel ad normam legum exigere posset. Qvisqvis ergo sic agit, Clemens dicitur. Eaq; remissio clementia dicitur. Clementiam qvippe exercere est conforme cum natura rationali, verum etiam honestissimum, præsertim si nec bonum publicum, nec conditio rei damnum aliqvod sit passura. Et qvidem tum vendicat sibi prudentia locum indulgentiæ majoris, si cæco impetu, non deliberatè, non studio peccandi, scelus est admissum. Hæc enim spectat clementia secundum Senecam lib. 1. de ira cap. ultimo. Dimittit sæpe enim cujus peccatum reprehendit, si pœnitentia facti spem bonam polliceatur: Si intellexit non ex altò venire neqvitiam; Sed summo qvod ajunt, animo inhærere, dabit impunitatem, nec accipientibus nocituram. Nonnunqvam magna scelera lenius qvam minora compescit, si illa ipsa non crudelitate commissa: his sœpe inest latens, & inveterata calliditas. Idem delictum in duobus non eodem modo afficiet; Si alter per negligentiam; Alter curavit, ut esset nocens. De qvo pulchre lib. 2. de clementia in fine, *sapiens Multa remittet; multos parum sani, sed sanabilis ingenii servabit:* Qvid pulchrius & admirabilius, qvam eum, cujus iræ nihil obstat, sibi manus injicere, & placidius uti sua potestate, qvam ipse nocens expectet, sententiæ latæ assentiri, cum est pereundum. Divus Augustinus Lib. 85. Q: 31. describit clementiam esse, per qvam animi temerè in odium alicujus invectionis concitati comitate retinentur. Qvæ descriptio & mansvetudini aptari potest, nam per utramq; retinetur animus: Per clementiam in punitione externa; Per mansvetudinem in interno motu iræ: sunt tamen diversæ virtutes; nam alia est difficultas atq; etiam laus in refrenanda ira, & alia in moderanda externa punitione. Moderatio siqvidem punitionis externæ ex certa pendet intelligentia ejus, qvod decet: Moderatio autem iræ per se difficilis, propter impetum appetitus irascibilis. Clementia versatur circa moderationem supplicii: Mansvetudo verò circa iræ temperamentum. Itaq; in uno facto sæpe se prodit clementia & mansvetudo. Urgebatur Constantinus Magnus ab Aulicis ad ultionem confractæ suæ statuæ: at is victor & iræ, & clementiæ Avidus placidissimè respondit: *Caput mihi præstat integrum & innoxium,*

nullum vulnus in fronte gesto; Sed & universa facies sana. O Sanum Principem in corpore nitido nitorem animi majorem circumferentem! Ecce ut utriqve virtuti suum persolverit debitum. Mansvetudine iram presit. Et Clementia abolevit, remisitq; punitionis debitæ pœnam. Qvæ cum ita sint, auctores tamen has virtutes tanqvam sorores, & qvasi ejusdem sangvinis permiscent, confunduntq;; Imo clementiam adjungunt misericordiæ, ut Tullius lib. 2. de inventione pro clementia misericordiam posuit, ob insignem harum virtutum consensionem atq; affinitatem, ut optime notavit Augustinus contra Adamantium cap. 11. qvod scilicet misericordia subveniendo præstat, id Clementia exsequitur, non exigendo qvod summo jure posset exigere. Qvare in hac nostra opella communibus suffragiis & encomiis iisdem utramq; virtutem qvasi germanas sorores celebrabimus, qvæ iisdem fere actionibus semper interfunt. Clementia enim est virtus modum adhibens rectæ rationi convenientem in ipsa externa punitione, & sic competit superioribus erga subditos: At qvem modum adhibebit nisi animus, qvi effervescens in iram ebullit, mansvetudine temperetur, & placide regnet? Qvare mansvetudo ad eum effectum operis magnifici concurrit, cohibitâ irâ atq; vindictâ.

Jam vero ad opera clementiæ progrediamur: Animo non ægrescere; serenam mentem gerere; & si nubes occursant, nil in eam incidere turbidi, qvod obducat: sic animum formare, ut nec metus, nec mæror âllatrante fortuna confundat: Ex alto despicere; Omnem fortunæ iram reverberare: Placida & inconcussa facie adversis obviam ire; Lachrimis hostilibus succurrere; Manum inimico naufrago dare, egenti & perituro stipem, ut homo homini ex communi polliceri & offerre, donare Lachrimis hosticis vitam, & talis gloriabitur hostem servasse, non ut hostem, sed ut suum. Hæc opera mansvetudinis & clementiæ. Deinde hæ virtutes neminem abjiciunt, neminem fastidiunt, qvamvis audacia & importunitate permolestum, ita ut nec improbitas, nec perversitas iram extorqveat; O stupendum & admirabile decus! O qvam rarum! O utinam & rarum! Properemus ad alia decora. Clementia mansveta solvi catenas jubet, absq; justitiæ vulnere cadaver noxium sepelit: Sui contemptione neglectuq; non fremet, imo nec indignabitur: Improbitatem aliorum aut ingratitudinem, grave tamen telum beneficæ menti non exprobrat. Nec hisce finibus se coarctat hæc virtus. Qværis qvid his amplius? ad universi stuporem ad sui desertores calamitososq;, qvi iram merebantur suam bonitatem transmittit. Deinde cum omnis virtus hostes suos, & inimica semina patiatur (omne enim pulchrum & magnificum invidiæ Obnoxium) habet & Clementia, habet & mansvetudo tres suæ gloriæ dolosos hostes, qvi generosè debellandi sunt. Primus hostis ad omnem simulationem compositus & in animo delitescens, qvi tegit amarorem animi exulcerati, coqvitq; tacitas iras; premit tamen, ne erumpant. Hunc hostem insidiosum sub jugum mittit clementia mansveta & composita mente detergit turbidi qvidqvid influxerat; Et telum rejectat qvod hostis intulerat; & vulneri inflicto non vult super esse cicatricem. Alter hostis non solum mentem; sed & vultum sauciat: petit ergo hic vultus harmoniam & Serenitatem feroci occursu & mœstitudine permutat. Oculis ergo & vultu, & fronte, nec non sermonis tardiore ariditate haud dissimulanter læsionem animi saucii prodit. At Clemens mansvetudo vultum non dejicit, sicut nec animum. Serenat oculos blandis obtutibus, amicos vultus impertitur, calamitosum hostem

ſtem erigit, & qvod ultimum eſt ſummi officii genus, ſalutari oris ſidere & blandi loqventia prævenit injuſte lædentem. Tertius hoſtis harum virtutum longe acerbiſſimus, qvi non ſolum amaram animi defectionem clauſam nutrit, vultu alienationem, & acerbitatem circumfert, verùm etiam pectus exarmat immiſericordia, clauditq; portas affectui humano, non aliter, qvam ſi exutus hominem, hominem ſe ignoret, & miſeriam humanam velit neſcire. At clementia omnibus injuriis altior omnem acerbitatem à ſe projicit, & injurias rependit beneficiis, & gratias ingratis, & faces novæ amicitiæ parta victoria lætus extollit, & qvod ſummæ gloriæ omnes qvaſi oblivioſo maſſico potus ebriusq; ſepelit cauſas irarum. Sic Julius Cæſar aperto Scrinio literarum hoſtilium, qvibus petebatur, nec oculos immiſit, verum ſui victor & ad perpetuitatem ſuæ clementiæ magnanimo igne faces odiorum cremavit. De his tribus hoſtibus ad magni Pompeji imitationem tanqvã tribus orbis partibus triumphat Clementia & manſvetudo. Verum omnib9 triumphat magis clementia; illi enim triumphi lacertis & nodoſo virorum robore; illi enſibus & armatis dextris parantur, non proprio Ducis decore, qvamvis felicitati ducis cedant. Hic ſui victoria, qva homo ſe ipſo major, de ſe ipſo triumphat. Grandius enim ſe, qvam hoſtem vicisſe; Hos tres hoſtes trahit in triumphum cum hac inſcriptione: Vici, hoſtes beneficiis ſervavi, & meos feci victoriâ mei. Jactantior fuit julii Cæſaris, at non verior Vox, & inſcriptio ſui triumphi: Veni, Vidi, Vici. At ſuis auſpiciis non ſua dextra, alieno labore fruitur triumpho, alieno ſangvine triumphat. Vix aſeqvitur ingenium humanum fructus regios tantæ magnanimitatis. Qvid glorioſius in vita, qvam vivere hoſtem in ſui gloriam? plus confert incolumis nomini, qvam ſi ex oculis ſublatus. Qvia eſt continuum ſpectaculum alienæ virtutis. Sic enim DEO per ſimilis evadit: Qvi contentus nihil ex victo ſumere per beneficia niſi gloriam manſvetæ clementiæ. Aude, Chriſtiane, hanc gloriam appetere: Aude hos nobiles Triumphos ambire. Accenderis illatis injuriis? opprime flammam orjentem in ortu. Inſtar pulli generoſæ Aqvilæ abde iram; clementia ſit in procinctu; Illa præponderet in partem humaniorem, qvicqvid plus æqvo futurum eſt. Subtrahe oculis & menti illuſoriam imaginem illatæ læſionis: impera leges amicitiæ oculis, ſermoni, & totius corporis habitudini. Ejaculentur oculi blandimenta, qvi tot ictibus poterant configere, qvot obtutibus hoſtem intueri. Vultus tuus abſolvat reum, doceatq; ad innocentiam reverti. Pudeat Chriſtianum nullum modum iræ ſtatuere, niſi qvem laſſatus affectus extorqvet. Eja projice tela manu Chriſtiane. Eſto; habeas cauſam puniendi; crudelis es, ſi in exigendis pœnis non ſtatuas modum. Imitare ſaltem Regem Gentilem Dionem Regem Siciliæ. Hic Heraclidem & Theodotem & conjuratos habens in ſua poteſtate, cum ultro ſe dediſſent orabant, ut ſe benigniorem in illos exhiberet, qvam in ſe ipſi fuiſſent. Decere Dionem, inqvit, omni alia virtute præditum incomparabili, iræ qvoq; imperare adverſus ingratos; Qvi de qva ante cum eo contendebant, nunc vinci ſe virtute fateantur. Qvid ageret Dion? circumſtant amici, urgent, tollat hoſtes è medio, permitteret militibus, extirparet ambitionem popularem, morbum Tyrannide non minus veſanum. O magnum Regem! ſe in Academia didiciſſe ait artes vincendi iram, & æmulationem & invidiam; Aliis Regibus permittere armorum uſum & meditationem. Philoſophiæ documentum eſſe, non erga bonos & amicos moderationem ſolùm adhibendam, verum & injuriam inferentibus placabilitatem & lenitatem. Heraclidem velle ſe non tam opibus & prudentia, qvam clementia

& justitia superare videri: qvippe in his esse veram præcellentiam: Victoriam bellicam & si neminem mortalium, fortunam certe, qvæ partem earum vendicet, habere. Qvod si infidus sit Haraclides & ex livore improbus sit, ideone Dionem oportere ira virtutem labefactare: His usus rationibus Heraclidem & Theodotem misos fecit. Hæc Plutarchus in ejus vitâ. Statue igitur tibi modum Christiane, in ira moderanda, in pœnis exigendis: imitare saltem Ethnicos; noli esse, ut noxium animal è cubili prosiliens. An non muliebre furere ira? imitare generosas feras: Illæ nec præmordent, aut urgent projectos, & tu hominem? inclinet ergo te clementia ad lenitatem; utere potestate in melius, ne excandescas, cum possis; sed & tibi manus injice. Facilis & exorabilis esto, ut serves qvod proprium est magnanimæ mentis. Hæc disciplina omnes decet, & vel maxime illum, infra qvem nihil est. Qvæ si uspiam spectabilis est, qvamvis in toto vitæ cursu nobis comes peregrinari debeat, in tribunali, in principe, in Rectore urbium, in altis deniq; vestigiis speciosius eminet, & se videndam exponit. Qvare si necessitas, vel legis, vel boni publici custodia animadversionem extorserit, actutum clementia se ingerat; ostendat, qvam invita aspero remedio manus admoveat, in cujus animo nihil hostile, nil efferum, nil intemperatum; qvam alienum sit à se, ut aliena anima velit abuti. Clamet sibi parci, cum alteri parcitur. Ingeniosa & admirabilis est clementiæ virtus, qvæ ut vindictâ à se removeat pœnas ultionis justæ inexspectato mitigat temperamento. Maxima pars vindictæ sit potuisse vindicasse: Maxima pars clementiæ posse ignoscere, & dixisse potui, ac nolui ulcisci.

Summum decus clementiæ sic curare vulnera, ut nec sit locus Cicatrici; sin autem latius pateat, qvam obduci possiti, sit cicatricis honestæ summa cura. Inveterata enim vitia tollere arduum opus, & ingentis est consilii. ingens principi lucta cum vitiis adultis & ævo validis. Qvercus annis & mole sua stat terræ per spatiosas radices cohærens, non tonitru, non fulmine, qvamvis lædatur, eradicari potest. Morborum non nulla sunt genera, qvæ nec manum medicam, nec artem Machaonis admittunt, nec rescindi nisi periculose membra possunt. Sunt & eqvi indomabiles, qvi sessorem non patiuntur: In generosam tamen indolem nati: Longa arte, & consilio, & patientia prudentiq; dissimulatione evincendum, qvod in naturam inoluit, evaluitqve. Expugnare qvod in consvetudinis vim transiit, divini propè est operis. Summi Ducis est aciem inclinatam, & milites abjectis armis fugæ proximos restituere, fugientes confirmare, per totum agmen oculis, Clamore volitare, atq; hac arte victoriam hostibus ovantibus extorqvere. Summi Gubernatoris, fluctibus decumanis, & intonantibus undis navem vacillantem invehere, & mari furenti leges dare: maximum omnium operum, inveterata mala eaq; licenter grassantia solerti consilio lentè tollere; ad qvæ mentis artibus & regio animo est opus. Partim ergo dissimulare, partim lenire, partim nolle contrectare, partim eblandiri, & ipso tempore consiliario vires paulatim & sine sensu circumcidere. Ante omnia molli curatione morbi graves curandi; Occurrendum est illis dissimulanter, nullo dato signo. Multa elangvescunt ipso spatio, qvæ spacio convaluere, & sæpe extenuantur mora, fervido consilio roboranda. Dandum spacium furori & novis rebus in exitium ruentibus, qvibus obviam ire est vires addere. Bene Ovidius lib. 1. de remed. amorum. *Temporibus medicina valet, data tempore prosunt; & data non apto tempore sæpe nocent.*

Sæpe monſtret adverſari vel negligere remedia, qvæ maxime optat adhibere, non eſt turpe magno duci gradum retrodare, ut hoſtem ſternat. Non alia arte Parthus victoriam parat, fuga victor. Artis ingentis eſt hoſti ſecuro ſpolia adimere ſine ſangvine. Et prudentisſimi eſt imitari medicos, ne pars ſincera trahatur, in perniciem differre valida medicamenta. Qvare optime Saluſtius ad Cæſarem. *Qvi (inqvit) benignitate & clementia imperium temperavere, his omnia candida & læta evenisſe.* Metus enim & terror infirma vincula, & inania ludibria. Vana eſt ſine viribus ira Regia. Et qvid aliud eſt qvam ſignum Regiæ majeſtatis ponere ad ludibrium alienæ impudentiæ? Obſeqvio Regio flectendi rebelles, non armis dubiis, ne ſubditus bellando artes vincendi diſcat, & libato ſangvine prædæq; dulcedine magis accendatur, & accenſus tot illatis cladibus de concordia ſincera deſperet. Victus enim cum deſperatione fœderibus & coitionibus ſubſidiisq; exteris ſua properat ſtabilire, partibus ſtabilitis formidoloſus evadere: Qanto ſatius retro gradum dare, cedere ſuo jure, non obniti furori unito, qvi ſpatio ſolutus vaneſcet; ſubmittere animoſum pectus, velle pacem, nolle vindictam, offerre amicitiam & libertatem, cum aliter non potes; ſed fidem ſinceram & integram. Qvicunq; inveterata tentes tollere vitia, audi Caſſiodorum II. Variar. *Veri & benigni principis eſt ad clementiæ commodum tranſilire aliqvando terminos æqvitatis, qvando eſt ſola miſericordia, cui omnes virtutes cedere favorabiliter non recuſant.* Viderint illi, num conſulant imperio, qvi ferro & igne & ſummis ſuppliciis, qvæ valida libertate introducta, exterminare ſatagunt. Publicus terror caput ſeditioni dabit, & inſtar ignis ſerpet, obvia qvæq; depopulantis. Ille ignis tandem in varias terras tranſiliet, varias provincias reſpiciet, & tandem incumbet omnibus, qvi tanto incendio non ſufficient. Pertinacius odium ſubditorum in principem tumultuantium, qvam exterorum: Hi fœdere inito componuntur, at partium civilium odia nunqvã bello finiuntur nec qvieſcent, niſi ſe mutua clade ſatiati utrinq; confregerint. Longe ſane eſt violentior amor ad obtinendum, qvæ velis, qvam timor imbellis, nec ſatis potens. Acerbitas enim, & juſtus metus æternum bellum & anceps gerit; nec facile hiantia vulnera diuturnis malis & cladibus renovata coire poſſunt. Ægro corpori magnis & diuturnis morbis vitiato qvies, qvam valida potio ſalubrior. Multa qviete langveſcit furor & ardens odium vento creſcens, ſpacio vaneſcit ſublata materia. Magna pars victoriæ armorum ceſſatio, armis unctis ſangvine ſuperſedendum, & qvies danda. Qvia ipſa qviete ardens bellandi furor ſubſidet & extingvitur. Expiatis armis dulcedo pacis vividum bellandi robur demulcet, & commerciis odia rigida lenteſcent. Certabit princeps Beneficiis, & auratis telis firmabit amicitias & clementiæ adamante ligabit: Permittet rebus curſum, nullas novas res molietur, nullam materiam præſtabit odiis; Duces partium meritis vinciet & officiis ſuperabit. Nolo principem hoc rerum ſtatu vires experiri; metus enim vires collectas firmat, qvas pacis mollities ſolvit, ut igne glacies conſtricta. Qvare Regnum induratis ſpatio malis laterum, non aſperitate, ſed mollibus tractandum obſeqviis. Qvam fœlix Roboam, ſi populum in iras concitatum verbis amatoriis demulſiſſet? Annon ſævitia verborum Regnum diſcidit, deſerto ſenum conſilio, qvi blandis obſeqviis populum mulcendum volebant? Placent ergo clementia & facilitas, qvibus nil eſt hominibus utilius. Clementia & facilitate veneratio acqviritur, & vires princeps ſumit, dum qvis ſibi timere deſinit: Singulos præfando, ſingulos exarmat & ſuos facit, fiducia tollitur ſævitiæ malum.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn333951557/9 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Paulatim ergo diu contexta mala disſuenda, & more gigantium dum corpus librant ultra paluſtria loca, ut Vires colligant, retrocedendum. Sin autem eo pervicacia creverit, & inveterata mala adeo obduruerint, ut nulla arte reſcindi poſſint: Imitandi ſunt medici, qvi proxima cordi membra cum reſcindi non poſſunt, ne pars ſincera trahatur, tempori permittunt. Neq; enim (teſte Cicerone pro Sylla) *qvisqvam noſtrum ſubito fingi, neq; cujusqvam vitæ repente mutari, aut natura converti poteſt.* Nec enim caudam eqvo bene crinitam uno impetu totam, verum ut ita dicam, filatim detraxeris; Ita nec obſitum ſylveſtribus arbuſtis ſolum uno momento purgaris. Magnitudo mali non niſi lenitate, amore, præmiisq; & ſancto ambitu curatur. Aſperitas enim odium & ingentia mala movet, qvæ clementia ſedat: Illa ruituri ruina, hæc ſalutis cauſa: oportet proinde principem & omnem urbium rectorem manſvetudine & clementia florere. Hæc autem inveterata mala atq; virtutibus infeſta, facile tollet princeps, ſi inprimis illorum oſorem & hoſtem ſe oſtentarit, ſi de contrariis virtutibus cenſuram agat, ſi vitioſos à republica removeat, ſi decretis ſuis minas admoverit, ſi reluctantibus exempla ſeveritatis exhibeat, clementiæ tamen memor ſe patrem ſpectabilem præbeat. Hoc enim pacto maximam partem pudor, alios neceſſitas, non paucos principis reverentia, & metus offenſionis, qvosdam turpitudo cauſæ ad ſana conſilia revocabit. Horum deinde facilior cura, ſi his omnibus acceſſerint præmia, ad honores translatio, amicitiæ ſuæ liberale commercium, laudis innocentium promulgatæ ad ſuæ ſanctioris vitæ exempla. Hæc enim erunt efficaciora & præſtantiora ad curanda inveterata mala & morum renovationem qvolibet ſeveritatis decreto. Qvod enim eſt nautis cynoſura, & artificibus regula, ad cujus aſpectum illi, & ad normam diriguntur, populis eſt vita principis, qvi morum arbiter & judex; egregiè Claudianus de qvarto Honorii conſulatu.

Totus componitur orbis Regis ad exemplum. Non ſic inflectere ſenſus humanos edicta valent qvam vita regentis. Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus. Et idem. *tunc omnia jure tenebis, cum poteris Rex eſſe tui.* Et SENECA in Thyeſte. *Rex volet honeſta nemo non eadem volet.* Omnis virtus ex aula, vel neqvitia. Si impia, eſto, nemo fraudis, & ſceleris viam doceat; Aula docebit: Si pia, regnabit pudor, ſacri cura juris, ſanctitas, pietas fides. Qvis caſto principe audeat proſtituere pignus ſacri conjugii? Qvis rapere aliena innoxius? Qvis tutus ſtabit loco ſicarius, aut homicida principe fuſi ſangvinis vindice? Maxima incumbit principibus neceſſitas bene vivendi. Minima qvæq; ſcrutatur vulgus ulceroſum & tabidum. Minimus nævus in principe ad trutinam vocatur. Auguſto Cæſare qvid auguſtius? Et tamen mordaci murmure dictus conjugi Mecœnatis metuendus. Qvis Trajano felicior, & Catone gratior? Vini uterq; Avidior laxando animo. VESPASIANO qvis rebus gerendis attentior? Sordidus tamen & pecuniæ avidior habitus. THEODOSIUS MAGNUS omnem humanam virtutem ſupergreſſus, qvem vetat caſtitas mori, infuſcatur iræ inpotentia; Et ejus nepos, qvod langvida nimium regnarit manu. POMPEJO MAGNO qvod digito caput ſcalperet. Felicisſimus ille, qvi minimis urgetur vitiis.

Pudeat populum in mores tantorum virorum inſanire; inſanit tamen & mordet liberè ac perſtringit. Si itaq; Princeps velit beatum ſuum populum, exhibeat ſe ut DEI ſimulacrum, ab omni crimine purum, alienæ conjugis metuentem, Alieni abſtinentem. Qvis etiamſi peſſimus ad innocentiam non redibit? Tantum aliis proderit, qvantum ipſe virtutibus creverit. Et qvamvis nonnulla

vitia

vitia ſolcant naturæ adhærere, vel arte tegat, vel ea qvæ in oculos incurrunt, eradat. Vita Principis omni gladio ac ferro potentior. Qvas clades non infert regno una libido? Vince ergo te ipſum, qvicunq; Regis. Inſtabile regnum, ubi labaſcit virtus. Athenienſis civitas duos peperit ſoles, MILTIADEM & THEMISTOCLEM. Hic ut prodeſſet reipublicæ, igneum & erectum ingenium ſuſtulit, & ſibi omnem licentiam interdixit. ALCIBIADES omnes mortales ingenio & dotibus naturæ nobiliſſimos excedens, clarus victoriis & invictus Imperator famam perpetuæ laudis ſibi præripuit vitæ diſſolutione & ferociâ morum. Qvas ſpes conceptas non ſuccidit vir maximis rebus gerendis natus? Luxus & *una* laſcivia tot virtutes obſcurarunt. PERICLES acceſſurus ad rempublicam omnes vitæ rationes mutavit. Tanti intereſt, qvis ſis, ut præſis. Hæc principum conditio, ut vitia, qvæ in privatis latent, in regnantibus ſint in aperto. Princeps ergo cum ſit ſimulacrum DEI, cum ſit pater reipublicæ, cum miniſter DEI & juſtitiæ, cum ſit deniq; omnium ſignorum viſu jucundiſſimum atq; auguſtiſſimum, componat ſe ad effigiem DEI, exhibeat ſe patrem, & normam & regulam bene vivendi. Perverſo enim Principe, neceſſe eſt regna præcipiti lapſu ruere ac diſſolvi; non aliter qvam ſi qvis baſi non ad rectam lineam poſitæ coloſſum ingentis magnitudinis inædificet, & ſuperſtruat, neceſſe eſt eum cum baſi præcipitem labare defringiqve. Sit ergo Princeps regula recta, norma inflexibilis morum & virtutum, non curva, non obliqva, qva ceteri dirigantur, adæqvans omnia, qvæ illi cohærent; ſe deniq; componat, deinde rempublicam. Judex ſapiens, ait Eccleſiaſticus, Cap. 10. Judicabit popnlum ſuum & principatus ſenſati ſtabilis erit, ſecundum judicem populi, ſic & miniſtri ejus, & qvalis eſt rector civitatis, tales & inhabitantes in ea. Rex inſipiens perdet populum ſuum. Qvid clarius dici poteſt? qvemadmodum cauſæ influunt in ſuos effectus: Ita regentium exempla qvorumcunq; in ſibi ſubditos. Diſcipulus bibit venena, vel præcepta ſapientiæ à ſuo magiſtro velut à ſi o fonte pota. Non melius qvidqvam afferri poteſt, qvam aeris natura, qvi lumen recipit & tenebras: Qvare præclarè Plinius in Pan. ad Trajanum, *Nullum eſt præſtantius & pulchrius DEI munus erga mortales, qvam caſtus ſanctus, & DEO ſimillimus Princeps.* Et Plutarchus in NUMA. *Cum Reges ſapientes ſunt & ſancti, tunc respublica maximum qvoddam & divinum donum à DEO ſe accepiſſe exiſtimet.* Et contra horribile DEI irati flagellum inſenſatus ſuperior, Vacans ſapientia & DEI timore. Princeps ergo cum caput ſit, ſanitas capitis influit in totum reipublicæ corpus. Teſte enim Qvintiliano declamatione octava. *Hæc eſt conditio Principum, ut qvidqvid faciant, præcipere videantur.* Et Cicero libro tertio de Legibus Legem duodecimam tabularum enarrans, qva cavebatur, ut Magiſtratus vitio vacarent, atq; ceteris ſpecimen eſſent, hæc verba adjecit: *Ut enim cupiditatibus Principum & vitiis infici ſolet tota civitas, ſic emendari, & corrigi continentia. Nam licet videre, ſi velis replicare memoriam temporum, qvales ſummi civitatis viri fuerunt, qvi talem totam civitatem formarunt.* Qvæcunq; mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo futuram. Qvare & optime Herodianus lib. 4. Solent plerumq; homines vitam principum æmulari. Cauſam altiori judicio penetravit Lactantius lib. 4. de Div. inſt. Qvoniam mores ac vitia principium imitari genus obſeqvii judicatur. Abjecerunt omnes pietatem, nec exprobraſſe Regi ſcelus videantur, ſi piè viverent. Totus qvantus eſt, transmittit Princeps ſe in ſubditos, qvi principum mores ſuis moribus exhibent. Manaſſes impiiſſimus, in Judæam transfudit impietatem. Neronis graſſantis per

urbem & ad lupanaria ſervili veſte diſcurrentis ſcelus ceteri Principes imitati. Incaluerat & luxus. Sic Tacitus & Svetonius; At præcipue adſtricti moris autor Veſpaſianus antiqvo ipſo cultu victuq; luxuriam coercuit, qvæ etiam ſub illo exolevit. Alexander Magnus prava conſvetudine, & Alphonſus Rex à natura cervicem incurvabat: Hoc aulici exprimere tentarunt. Bene Paterculus de Auguſto Cæſare: *facere recte Princeps optimos cives ſuos faciendo docet, cumq; ſit in imperio maximus, exemplo eſt major:* vitæ Principis intereſt populus, ſecreta perſpicit. Tardantem exercitum nivium montes ingredi perpulit Alexander ſuo exemplo. Æſtuabat exercitus Catonis per torrida & anhelantia Lybies arva ductus, ibat per ſteriles campos & exuſta mundi, qva raræ fontium undæ, & cuncta ſqvalent ſerpentibus. Deſperationem tamen cunctis ademit magni exemplum Ducis, dum incendit labantes virtute animos, Vide ducem & Catonem ſe ipſo majorem, qvem non ſeqvi, degeneris animi opprobrium qvi Primus arenas ingredi, primus gradus in pulvere, pericula cunctorum ſuo prætentare, nullo diſcrimine militem & Ducem agere, torreri erga omnes ignea ſolis flamma, calore ſolvi, incenſis diebus aduri. Porrigit miles Duci hauſtam galea ex vena maligna aqvam. An ille libavit arente ore? audi magnanimum virum. *Me ne degener unum miles in hac turba vacuum virtute putaſti? Usq; adeo mollis, primisq; caloribus impar ſum viſus? Qvanto tu pœna dignior iſta qvi populo ſitiente bibas? Sic concitus, ira excuſſit galeam, & ſuffecit omnibus unda.* Mirandum eſt, excuſſam undam omnibus ſuffeciſſe. Nimirum per contemptum ſitis ſitim extinxit, atq; omnium arida ora diluta. Animosè ergo adverſus omnia ſe extulit, dum cecinit. *Sitis, Ardor, Arena, dulcia virtuti. Gaudet patientia duris, lætius eſt qvoties magno ſibi conſtat honeſtum.*

Sed jam ad altiora. Qvemadmodum animus eſt Dux atq; imperator vitæ mortalium & Rector generis, ut ait Saluſtius in Jugurtha, cujus imperio, qvaſi ad tubæ ſonitum, omnia peraguntur; à qvo virtutes & vitia profluunt, & in obvias contagione qvadam dimanant: Sic à principe, qvi eſt anima reipublicæ, cum ſit in ſummo faſtigio collocatus, & cæteris omnibus præmineat, longe lateq; ſpargitur in ſubditos aut lux virtutum, ſi ſit præclare virtutibus ornatus, aut vitiorum fœda caligo, ſi fuerit illis enutritus. Magnum ergo aurigam dixerim animum Principis, qvi totam rempublicam Solis inſtar, qvi ſuis eqvis Cœlum obit, perluſtrat, ſi rationem & prudentiam magiſtram & dictatricem audierit. Sin autem cupiditatum & libidinum indomitis eqvis ſe patiatur ferri, Phaethontis inſtar totam rem publicam flammis vitiorum Incendet, ut ille Cœlum & ſe incendiis involvit. Pulchram imaginem Philo Judæus proponit. In anima, inqvit, noſtra eqvi ſunt, aurigæ, & aſcenſor: eqvi duo, iraſcens & concupiſcens: ille velut mas, hic fœmina: ille geſtiens ſolutus & liber eſſe vult: hic ſervilis, humilis, Vafritie gaudens domi deſidet, & paſcitur & paſcit devoratq; auriga autem animus, ſi rationem audierit, ſin non audierit, aſcenſor eſt. Aptè ſane rector itaq; qvi nobilis aurigæ dignus nomine, robuſta & artis plena dextra ſuos eqvos indomitos coercebit. Et ſalutaris freno prudentiæ rempublicam regens beatam felicemq; efficiet, ſin minus, per præceps abreptus, ſe ſuosq; perdet & evertet. Nec enim aſcenſoris imperium patitur eqvus indomitus. Fertur enim volatq; nec audit currus habenas. Conſcenſurus ergo currum ſui imperii, neceſſe eſt ut habeat, qvantum fieri poteſt, irrationales, animales, & belvinas animæ partes in ſua poteſtate: Qvarum una bellatrix, ambitioſa, impatiens, poſita in affectionibus: Altera humilis langvida, marcida, & voluptuaria, qvarum impetus tanto pernicioſior,

qvam-

qvanto in summa potestate liberior, & suo contactu nocentior. Cum itaq; in vitam principis, vel cujusvis regentis sint omnium oculi conjecti, nec virtutes nec vitia latere diu possunt. Qvis enim celarit ignem, qvi lumine suo proditur? Ingens ignis flamma libidinis, ingens est incendium ira præfervida. Vtraq; pestis pulcherrima regna multo sangvine & avorum ingentibus curis parta, subito depopulatur. Maxima servitus imperantium, ut omnium subeant censuram. Ut cum omnia possint, minimum tamen illis liceat. Paucis hoc absolvit Salustius. *In maxima fortuna minima licentia*. Curiosum hominum genus in vitam principum, incuriosum in suam. Qvis negaverit ex sententia Solonis *esse bellam arcem principatum, sed descensum non habere*. Arcem scil. virtutum, nec descensum ad vitia. Verè & benè dixit esse arcem, vel alteram pharum; qvæ omnium pateat oculis. Rumor dicta & facta excipit, loqvi non possunt, qvin omnes ad vocem intendant. Prodeunt? incessus, motus, habitus corporis observantur. Morem iræ gerunt? terrentur omnes & more ferarum defugiunt ad tumultus tonitru. Vulgi est procurrere in iras; sævire vocibus ignobilis populi; at rectori urbium nec vociferatio qvidem est ex majestate, qvem & intemperantia verbi dedecorat. Omnes principis animum, tanqvam rem magnam & sacram & Cœlo demissam, qvasi divinitatis capacem venerentur; qva in cæteros dominari possit. Aberrare itaq; à fortuna sua non potest, à qva obsidetur & Principem seqvitur magno apparatu. Magna proinde incumbat necessitas imperatoribus suam fortunam tuendi, qvam sortiti sunt. Hoc sub nomine Theodosii Magni ad filium *Honorium* pulchrè docet *Claudianus*.

Hoc te praterea crebro sermone monebo,
Ut te totius medio telluris in orbe.
Vivere cognoscas, cunctis tua gentibus esse
Facta palam, nec posse dari regalibus usqvam
Secretum vitiis; nam lux altissima fati
Occultum nil esse sinit.

Bene & Juvenalis.

Secretum divitis ullum esse putas? Taceant homines, jumenta loqventur. Qvare iterum atq; iterum moneo, salutem & naufragium orbis, & urbium à vita regentis pendere. Transcribuntur in leges virtutes & vitia principum. *Minus edicta valent, qvam vita regentis. Nominis plus horror, qvam tuus ensis aget.* Ait Claudianus. Princeps foris DEI simulachrum: domi virtutis. Pulchrè ad Trajanum Plinius: Pulchrum, qvod te ab omni contagione reprimis ac revocas, sed magnificentius qvod tuos. Decet enim Principem suorum qvoq; maximam habere curam juxta illud Martialis. *Principis est virtus maxima nosse suos.* Paucos regendis imperiis natura dedit. Maxima pars hominum parendo, est melior. Unus Rex apibus numerosissimis, corpore & notis Regiis prælucens, clariorq; inauguratus, reliqva turba servitutis voluntarie jugum subiit. Hoc imperatorum imperator Diocletianus, sola Tyrannide in Christianos infamis, cetera eminentissimi ingenii docuit, cum dixit; *nihil est difficilius, qvam bene regnare*. Aurelianum fato imperii adepti funestum rebus gerendis per nobilissima facinora judicavit reipublicæ feliciorem dum suberat, qvam cum præesset imperio; Tunc enim impotens iræ neqvaqvam hilari vultu, nec patienter ferebat injurias. Ha-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn333951557/13 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

bent hoc pesſimum animi, magna fortuna inſolentes, ut iis, qvos læſerunt, & oderunt, ſit dulce illis dolorem reddere: At lætum ſe præſtare & obliviſci, qvid actū ſit contra ſe, ingentis animi eſt, & Regii. Qvare & curæ eſt ingentis, virorum ingenia, & egregias dotes vitiaq; ſolerter introſpicere, & ponderare, qvantum cujusq; humeri ferre valeant. Impares ſuccumbunt, & onus reipublicæ ſuſtentandum trahunt, ſecum in ruinam.

Fluitat in naufragium navis ſpoliata magiſtro. Sic & valida exercitus potentis robora impari ductore ſolvuntur. Ita & infirmo animo corpus infirmum. A capite enim ſalus in totum corpus derivatur. Tanti intereſt dare caput rebus. Sint ergo principes non ignavi, non ſocordes, non tumultuarie dent præſides & conſiliarios; non uni permittant clavum regiminis, non penes unum ſit cura totius regni, qvi regno ſuperbo inſoleſcit. Videant, qvo qvisq; ſangvine natus, an dubio an periculoſo, an ſuſpecto. Non imbelles generant aqvilas columbæ. Vitioſa parentum indoles, vitioſam ſobolem dabit, aut ſi non dabit ſuſpectam, dabit metuendam, dabit ſemper per occultas fraudes ſignum ſuum. Meminerint ergo Reges, ut ſumma cura, qvaſi indagine facta delectus virorum, qvos continua, & proſpera majorum integrorum fama nobilitat, & commendat, habeatur. Meminerint præterea non uni ſoli molem imperii tradendam. Intutum & plenum hoc opus periculis. Qvid ille, ubi arcanorum omnium conſcius, potentia validus, conſiliis vafer, ſi Satyri inſtar omnia proditoriè ſimulet obſeqvia? Si vires paulatim ad ſe trahat? Si Principi jam metuendus? ſi ſecretas externorum principum tentet amicitias? jam hic gradus ad exitium. An non Tyberium omnium principum facile vaferrimum Sejanus Aulæ potens potensq; Tyberii cui pares eum Tyberio ſtatuæ, imagines publicæ, victimæ, proxime dejeciſſet imperio, ni Tyberius per doloſas ſuasq; artes ancipite & ſinuoſo conſilio, nil ſimile expectantem ſtraviſſet? Qvis Severo acerrimi ingenii imperatore ſollicitior? Hic tamen cum tanta eſſet prudentia à Plautiano, in qvem Severus imperium inclinaverat unà cum filiis proximum diſcrimen naufragii infeliciter adiit. Qvid eſt Principem unius amore dementari? ab uno teneri? unius conſilia qvaqva-verſum ſectari? tanta fiducia fortunæ ſuæ Plautianus dominabatur, ut Cœlum potius ruiturum dixiſſes, qvam plautianum à Severo aliqvid damni pati poſſe. Qvare & in circo erumpebant illæ populi voces: qvid tremis, qvid palles, tu certe plus qvidem qvam tres poſſides. Severus ſcil., & duo filii. Adeone Principum in ſui exitium ebrii & præpoſteri amores? Accipe tragœdiam. Sejanus cum Plautiano ex alto cecidit. Qvam fæda ſtrages, & qvidem vacillante jam Imperatorum vita, ni fortuna prohiberet. Qvis Imperium everti Romanum niſi unus Stilico, proditor Imperii? Hic aulæ & regni armis & connubio potens, ut unum Eucherium filium purpura indueret, detectus proditor, ſe cum imperii ruina proſtravit. Gottico hic & Arjano Sangvine natus fidei ſimulator, ſuæ gentis ſecretus Patronus & fautor. Qvid antiqva commemorem? Orbis duo regna pulchra Gallia & Hiſpania orbis oculi, foleſq;, qvid non paſſi hujus mali inauſpicato conſilio? Mundo non ſufficit unus. Salus reipublicæ ubi conſilia multa. Achitophel Davidi, Haman Aſſuero, Julianus in Hiſpaniis Roderico Regi, Rufinus Arcadio, Cardinalis Volſeus Henrico Octavo qvam metuendus? Vnica principum bonitas extulit hos nimium, ut altiùs ruerent. Noſtri ſeculi turbines, & faces malorum prætermitto. Occa-

ſio

fio tantarum calamitatum, ut & ceterarum nimia prosperorum continuatio & supra censuram potens regendi, & se confirmandi libertas; & Principum nimius amor, stabiliunt fortunam suam principis periculo, & dum plena dominantur aula, trahunt secum aulam connubiis; Provinciarum sortitione & amicitiarum vinculis confœderatas rapiunt secum familias. Annon Princeps ferè nudus, & ille unus stipatus, cui nocuisse, est confœderatorum in se iras concitasse? Rex sapiens, & cautus decipitur Imperator, dum plures ejusdem factionis homines, diversis vits, & temporibus Principem conveniunt, & unius consilia, qvasi suas per diversas artes probant, signant, & necessarias judicant, ut solebat dicere Diocletianus. Sic Vopiscus in Dioclet: Mansvetos volo Reges in proprios greges, ut in ipsos Reges imperium DEI mansvetum. Præstant ceteris mortalibus imperio, præsent & clementia. Violenta imperia nemo continuit diu. Regnare non vult, qvi invisus regit. Dulcissimum patris nomen, par, imo & dulcius Regis clementis, non vult timeri pater, at diligi. Vera dilectio mater justi erit timoris. Sint ergo mites patres qvicunq; regunt. Velint subditi incolumem Regem, ut incolumes floreant. Apum tam longa concordia, & concors imperium, qvandiu Regis longa vita, tam longa felicitas reipublicæ qvam clementia durat principis. Nam illa sublata Tyrannide permiscentur omnia. Disrupto clavo navis, qvæ spes salutis? Tralrit populus vitalem spiritum â principe rebus communibus intento, sciunt illum excubare, pro communi salute & paterna cura suas res & vitam tractare. An non perisse se judicant sublato regiminis clavo? Rex insipiens perdit populum Eccl.10. Et Plato lib.3. de Legibus: *Ignorantia vel improbitas politiæ est pestis & pernicies summa*. Et Idem, *infinita potestas Regis nisi legibus coerceatur est certissima Regni ruina, ac proximæ ruinæ prognosticum*. Qvare ab ipsis ordinibus regni etiam cogi debet, vel ut invitus regni leges servet. Et qvanto amplius DEI? Arist. lib.5. Polit. cap. 8. qvatuor enumerat, qvæ rem publicam servant in columem. Primum est Legum scil. bonarum inviolabilis auctoritas. 2. Magistratuum in obeundo munere prudentia, diligentia & alacritas. 3. populi erga magistratum obsequium. 4. Civium inter se concordia 5. claudit felicitatem reipublicæ, sit (inqvit) Magistratus erga populum paternus affectus. Crebris enim vocibus princeps debet se stimulare ad hunc paternum affectum erga subditos. Qvorum amor maxime est illi necessarius, ut & illius istis æqve necessarius. Qvippe qvi cum subditorum pater sit & nominetur nedum tutor teste Seneca lib. II. de beneficiis cujus verba sunt. *Principes Reges; & qvicunq; alio nomine sunt tutores status publici.* Imo omnis antiqvitas hoc nomen patris, sicut & patrium nomen, & patriam curam principibus indidit Luce naturæ; teste Plutarcho enim Appellationem honoratiorem non invenit, qvâ Regiam dignitatem condecoraret. Sicut enim patris est in liberos tanqvam in partem sui præcipuam & intimam proxima cura; Pater enim & filius pro una persona computantur. Patris ergo unus amor & cura in filio versatur, patris justus motus est filius, qvem cum humeris fert, timet oneri minus sibi. Pater filio qviescente laborat. Pater amore stimulante crebro filii sui nudum disvaviatur osculis pectus. An non pater originis sui filii dormientis præcordia osculatur, fusis ad DEUM præ gaudio lachrymis. Qvod tale tantumqve pignus Cœlo misisset. Omnis in Ascanio chari stat cura parentis. Filius

patri

patri in corde, filius in ore, filius amantis delitiæ patris. Has patris proprietates volo regnare in corde principis: Volo rempublicam unam principis curam, unum metum, unicos amores deliciasqve. Volo ut illam humeris ferat; huic intentus non sibi laboret, pro illa excubet; & vigilias sibi decernat, qvo tuta & inconcussa stare possit. Justus ergo & generosus metus Principis sit, timere subdito, ne lædatur se ignaro. Sicut canes in stabulo excubant, & laborant cum feram trucem audierunt, non pro se, sed pro ovibus, qvas custodiunt, ut ait Plutarchus. Eo animo Justinianus, Magnus ille Princeps, suscepit imperium, vera & viva forma veri Principis, qvamdiu se finibus Principis clausit, attenuavit se vigiliis, jejuniis, & laboribus succumbente corporis robore, exhausit se, ut exhaustas imperii vires accisasq; repararet. Patrem se gessit, rempublicam humeris inclinatam ferens. Et qvanta facilitate? Persas insolentes pressit, Africam vandalicis armis ablatam sibi Vendicavit, & Italiam dominamqve Romam suo junxit imperio. Patrem egit, & rempublicam, ut unicum suum patrimonium curavit. Sicut ergo proprium patris est servare filium, qvem & sibi superstitem optat, vovetq;; Sic & proprium veri Principis est servare suos, & redimere illorum salutem sua. Non sine causa justissima, Roma liberata & ab imminenti suis cervicibus servitute, à Cicerone vindicata, Ciceronem patrem patriæ libera dixit. An non & Octavius teste Floro lib. IV. cap. ultimo ob ingentia facta pater patriæ dictus? Hujusmodi Principes & alio titulo Sanctiori ac reverentiori auctos vellem; Augusti scil. nomine, ut dum colunt terram, ipso titulo & nomine consecrentur, non qvod eo nomine potestatem augerent; sed qvod dignitatis splendorem illustrarent. Placeat ergo reipublicæ principes Augustos patres vocari, tanqvam consecratos, & auspiciis divinis, reipublicæ designatos. Cetera nomina blandiuntur auribus, & plurimum trahunt secum adulationis. Sic nomen dictaturæ idem Augustus tanqvam superbum dejecta ab humeris toga, genu nixus, nudoq; pectore deprecatus est, qvamvis populus magna vi offerret ardenter. Sic Svetonius, Paterculus & alii. Jactentur illi famosi tituli, felices, immortales divi, invicti Triumphatores, & qvidqvid ambitiosa potest adulatio fabricari, congerantur in laudes: Nullius nominis honos glorioſior nec dulcior, nec durabilior, qvam Augustum nomen patris. Patrem vocari patriæ est tantum, ut possit Triumphos contemnere. An non omnibus triumphis major Alexandri Severi imperatoris triumphus, qvi non curru triumphali, sed humeris Romanorum ad capitolium deportatus cum titulo patris patriæ? Qvam jucunda, qvam divina succollatio? qvid est esse patrem patriæ, qvam induisse affectum & amores patris in rempublicam qvasi in filium? hujusmodi volo amorem principis in rempublicam. Dixi parum: flagrantiorem volo. O rarum vindicem! Qvis inveniet Principem parem: Rara avis. In bruto hic amor patriæ innotuit, stratusq; cesit amor filiorum. An non pro pulchra libertate, spectante patre juvenes & patriæ decora alligantur palo? Et pater alligatos percuti securi jubet? An non amori patriæ clade domus suæ & paricidio velificatus est? An non publicus parens ne patria à filiis proderetur Tyranno Tarqvinio, in locum liberorum populum Romanum adoptavit? Vicit amor patriæ & patrem. Sic & Agamemnon victus succubuit amori patriæ dum exundantes fortiter compressit, affectus, & spem sui sangvinis filiam Iphigeniam in victimam dedit. O qvale

duc-

duellum & conflictus animorum patris & patriæ! anceps & pulchra contentio, hinc & inde certantibus argumentis. Mirabilis exitu clarus trumphus patriæ cesſit. Hoc eſt eſſe Principem urbium, privatis anteponere publica, & communem qvietem ſuæ. De omnibus ut filiis bene mereri: ſciant omnes tam ſupra ſe eſſe, qvam pro ſe: Supra ſe tanqvam imago & exemplar DEI, pro ſe tanqvam pater, tanqvam nutricius, tanqvam amator generis humani; non ſolum, ut præſit; ſed magis, ut proſit. Auguſtus Cœſar tantus cum eſſe, ut triumphos contemneret, ita ſe republica induerat, ut diduci alterum non poſſet ſine utriusq; pernicie. ipſe erat animus, illa corpus. Tutorem ſe agebat ſtatus, ut animus corporis. Et ut amicus agit partes amici, nam Vetus proverbium eſt communia eſſe amicorum inter ſe omnia. Sic Conſtantius, Pater Magni Conſtantini, cum Diocletianus coargueret inopiæ, cum tamen Cœſar eſſet; reſpondit, ſui imperii opes & populorum ſuas eſſe divitias. Qvod ipſum re comprobavit, exiguo enim poſt intervallo totius Galliæ divitias & opulentiam curribus & vehiculis onuſtis oſtentavit, & privatas publicas eſſe duxit. Stupuit attonitus Diocletianus tot opes exiguo ſpacio congregatas. Tantæ potentiæ eſt amari à ſubditis. Amor facit omnia communia. At qvid factum? Magnificentiæ Regiæ dona, ut magnificè collecta, ita & majori virtutis adminiſtratione reſtituta. Meæ (inqvit:) opes ſunt opes Galliæ, meus cenſus, & patrimonium arrepto imperio, meum eſt, qvod fortunatus amor meum fecit. Uno tamen felicior ſum, qvod lever ærarii faſtidioſa cuſtodia. Patris partes agit cum nobiliſſimo patris officio defungitur. Paternum animum Tyberii Cœſaris in turbam militarem miraberis, qvam Paterculus expreſſit, dum ait: *per omne belli Pannonici tempus nemo è militibus cujuscunq; gradus imbecillus fuit, cujus ſalus & valetudo non ita ſuſtentaretur Cœſaris cura, tanqvam huic uni vacaret; diſtrictiſſimus tanta operum mole erat deſiderantibus paratum vehiculum, lectica ejus publica &c.* Nullius non ſuccurrit valetudini. Audi Dionem de Trajano, de qvo & Suidas. *Princeps in prælio multos vulneratos curabat. Cum autem faſciæ & velamina deficerent, nec ſuæ pepercit veſti, ſed eam totam in ligamenta & fomenta diſcidit.* O mirabile factum; nec altius ire poteſt. Hujusmodi volo Principes in ſuos. Vulnera ſuorum curent. Qvod ſi abſq; vulnere curare non poſſunt, molliſſimo genere pœnæ ſint contenti, & qvocunq; venerint, omnia faciant manſvetiora. Meminerint nullum animal homine moroſius, nec majori arte tractandum. Si beſtias perpetuis aculeis irritâris, omnino in contumaciam proſiliunt. Multo magis animus hominis ad libertatem natus continua trepidatione *contenditur*, & tandem frenum excutit; Si durius imperaveris jumenta qvoq; continuis verberibus lacesſita coguntur jugum detrectare, nec ferre ſeſſorem ſuum, num homines ferrent? Qvid animi viro, cui multum terroris, ſpei relictum? utiq; aliena manu utetur. Deſperatio enim omnia ſvadet experiri ac tentare. Volenti mori qvid arduum? Qvare non ſolum liberis, ſed etiam mancipiis ex ratione imperandum, memineris ingenuos tibi datos in tutelam, non in ſervitutem. Cur tibi eſt credita ſalus tuorum? an ut morbum exaſperes? cur non molli uteris? multa ſupplicia haud glorioſa: ſed multorum ſalus cum ſervari potuerunt. Placido præſidi fida ſunt ſua auxilia, qvibus ad ſuorum ſalutem utitur. Qvam decorum ſidus ſit clementia natura

ipſa ſagax edocuit. An non Rex apum (ut alias dixi) ſine telo inaugurātus eſt? medius ille ſuarum legionum, & illuſtribus notis fulgentior incedit, ut ſol medius planetarum, ſola majeſtate verendus. Mirum dictu! in pugnacisſima gente irarumq; fervida inermem Regem, ad cujus nutum ſigna moventur & caſtra. Tu, qvi regnas, imitare naturæ documentum, detrahe tibi tela furoris, & moderare animum iramqve, ſufficiat pepercisſe cum possis, aut ſaltem mitiori pœna caſtigasſe. Memineris regulæ illius: vis amari, ama, & amabilis eſto. Securitas ſecuritate mutua paciſcenda. Nihil ſecurum, ubi nihil à rege ſecurum, vel regente. facilius paretur patri, facilius paretur remisſius imperanti: Contumax enim hominis animus, & in contrarium nititur exterius presſus. Tactu blando ducitur, & ſeqvitur more generoſorum eqvorum, qvi plauſibus potius, qvam calcaribus ſe duci patiuntur. Plutarchi ſententia *Regum eſt metuere ſuis, Tyranni ſuos.* Qvorum potentia ut creſcit, creſcit & metus. Imitabitur Rex naturam ſummi DEI, qvi ſe vult patrem vocari, & homines à ſe creatos filios, qvi magno ſupplicio jubet ſe amari, non ſerviliter timeri. Fulcrum ergo & fulgor clementiæ eſt mutuus amor.

Epilogus ratiocinii erit Ageſilaus apud Xenophontem. Ille plurima loca, qvæ videbantur in expugnabilia, ſua clementia & humanitatis ſinceræ blandiciis expugnavit. Diſce qvi regis corda ferrea, qvæ nullo metu vinci poterant, igne clementiæ expugnari. Fidus miniſter amicitiæ eſt amor: infidus ſatelles eſt metus, facile jugum ſubit, qvi amat; facile eſt amari, qvi regnum clementiæ tenet. Non opus eſt philtro, ut ameris, amabilis eſto.

Jam hic te convenio Machiavelle, ſi Princeps eſt pater patriæ, ſi omnia illi dirigenda ſunt amore clementiæ, qvomodo metuendus erit? Tuum enim dogma eſt, *oderint, dum metuant.* Hoc nihil ſolidi ſpirat, in ruina eriguntur qvæ ſine fundamentis crevere. Timor ineſt illi peſtilens, non vera magnitudo Unus Seneca confutat hoc dogma, *oderint dum metuant.* Sullano ſeculo ſcriptum; dixerim ego à Sulla cruenta fera uſurpatum. *Neſcio (inqvit) ſeneca, utrum ſibi pejus optaverit, ut odio eſſet, an ut timori? oderint inqvit ille. Qvid agas, non ſentis. Occurrat tibi futurum ut execrentur, inſidientur, opprimant. Qvid adjicit? Dii illi malefaciant, adeo reperit dignum odio remedium, oderint. Qvid? dum pareant? dum non probent? non. Qvid ergo? dum timent. Sic nec amari qvidem vellem. Magno hoc dictum ſpiritu putas? falleris. Nec enim magnitudo iſta eſt, ſed immanitas.* Dira ergo & abominanda vox eſt. *Oderint dum metuant.* In odio qvid placidi? Qvid in metu virtutis, tot telis petitur Princeps, qvot oculis. At qvanto melius imperium beneficiis geritur, & cuſtoditur; qvam armis & metu? in Principem blande & ſapienter moderantem populi dirigunt oculos, qvos fulgor clementiæ ita perſtringit, ut nihil aliud posſint aſpicere, & in ſe hærentes pertinacisſimè detinant, illum populi diebus ac noctibus intuantur & cogitent. At videamus qvid præterea effutiat Machiavellus. Qvod reipublicæ pernicioſum, id Principi eſt utile. O execrandum dogma atqve nefandum! Principem plus ſibi debere qvam reipublicæ. Rempublicam Principis gratia à natura inſtitutam, non Principem in gratiam reipublicæ docet ille. Impie qvid agis. Nonne populus Principes & Reges publicis comitiis creat? nonne ſubjiciuntur *legibus?*

par

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn333951557/18 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

par enim est, ut ait Paulus lib. 4. sententiarum Tit. 6. Eum, qvi leges facit, pari majestate legibus obtemperare. Sanctus Ambrosius epistola 23. ad Valentinianum Imperatorem. *Qvod præscripsisti aliis præscripsisti & tibi; leges enim Imperator fert, qvas primum ipse custodiat.* Et Tacitus lib. 2. Annalium cap. 20. & 30. *Dux aliis minora mandat, sibi sumit validissimum.* Sic Julius Cœsar, & Trajanus formarunt suo exemplo milites; primi inire viam, ante aciem stare, flumina trajicere & pericula militum prætentare suo. Qvid agis contra Platonem, cui totus consentit orbis? lib. 4. de legibus. felicitatem reipublicæ in eo consistere, qvod lex sit domina Principum. Qvomodo ergo poterit stare hoc tuum dogma Machiavelle? qvod reipublicæ pernicioſum sit, id Principi utile esse. An bene potest esse corpori, capite ægro? an non exitiosum capiti corpore vulneribus undiqve confixo? aliter sensit Trajanus, qvi electo præfecto cohortium prætorianarum, cum oporteret eum gladio accingere, nudum porrexit: *Accipe (inqvit) pro me si bene & ratione imperavero distringvas; sin minus, ad meum interitum utere.* Spoliare populum suis opibus, opulentos è medio tollere, aliorum bona in ærarium regium transferre, rapinis alienis ditari, pernicioſum reipublicæ & Principi utile, Principi decorum. Piratam agere, stupris omnia replere & tyrannum agere; hæc sunt placita Machiavelli.

Qvid Trajanus? nulla ira utebatur, abstinebat ab aliena pecunia non minus qvam ab iniqvis cædibus. Vitalis ergo aura & Principi & populo communis est. Verum impius format impios Nerones. Addit enim Machiavellus, aut optimum aut scelestissimum debere esse principem. Te ipsum trucidas impie. Si optimus cum optima & bene morata republica, qvomodo id qvod optimæ reipublicæ est optimum, potest esse pernicioſum? Ait præterea, Tyrannum crudelitate se posse conservare, clamat contra te omnium sapientum chorus. Sistatur ante oculos Nero, Caligula, Domitianus; an non illa immanitas & luxuria à cervicibus publicis eos depulit, ferroqve sustulit? *Centuplex murus, ait comicus, illis servandis parum est.* Audi Cœsarem. *Qvi potentia impudenter & passim abutitur, neq; benevolentiam, neq; firmam securitatem inveniet.* Verum potentia mediocriter exercita, omnia qvæsita conservat. Pugnat contra te *Cicero Phil. 2. malus diuturnitatis magister metus & qvando in scelere securitas?* dic mihi, ec qvæ potest esse vis imperii, qvæ præ metu potest esse diuturna? nonne omnes Tyrannum oderunt execrantur, & tandem opprimunt? an non multæ populo manus & Tyranno una cervix præbenda gladio? Pauci sine cæde Tyranni, aut sicca morte sepulti. Ipsas manus qvibus te commisisti securus aspicies? audi Senecam in Troade. *Violenta nemo imperia continuit diu.* Esto, fruatur. An securus sui suiqve regni? ad omnem strepitum omnino pavet. Regna cum scelere omnibus exiliis graviora. Audi impie, ut contra te insurgat, & trucidet omnis gentilitas? At Atheus es, non utar adversus te sacris scripturis, qvas nullas agnoscis. Lege libros sapientiæ, ipsi te docebunt, justitia firmari solium, & transferri regna propter injustitias, non conservari. Volo te obrutum telis gentilium, si DEUM esse

non credis, qvem metuo ut credas. Audi Plinium in Paneg: ad Trajanum; Age cum DEO, ut te ſoſpitem, & incolumem præſtet, ſi tu ceteros, ſi rempublicam utilitate omnium reges. Sin contra ille qvoqve à cuſtodia corporis oculos dimoveat; te relinqvat. Audi qvod non ſcelera, ſed DEUS principes ſervet. DEUS debet eſſe à latere Principis ne dolis capiatur. *Jovi cura venerandi Principis, antiqvus ait Ethnicus.* Claudo cum voce Salomonis Sapient: 6. *Data eſt à domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qvi interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: Qvoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ; neq; ſecundum voluntatem DEI ambulaſtis. Horrende & cito apparebit vobis: qvoniam judicium duriſſimum in his qvi preſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Tractent ergo Reges & rectores urbium ſuos ſubditos, ut patres filios: cogitent & ſibi dicant. Qvod habet Tertullianus in Apol: *Inde eſt Imperator, unde & homo anteqvam Imperator: Inde & poteſtas, unde eſt parvitas.* Magni DEI ſimulacrum es, magni patris omnium perſonam ſuſtines; age perſonam factis exprimas, omnia verba & opera patrem ſonent.

FINIS.

Lit. Lat. rec. B 23, 12.